

2K  
515  
4

BENEFICIENTIAM ERGA SCHOLAS  
REIPUBLICAE QVAM MAXIME VTILEM ES.

II 9  
86

PROBAT  
ET

INSPECTORES  
SCHOLAE GRAVISSIMOS

ET

V I R O S

X 2316401

OMNIVM ORDINVM AMPLISSIMOS QVI SCHOLAE  
BENE CVPIVNT

VT

SCHOLAE LVSTRATIONI

D. XIII. OCTOBR. ET SEQVENTIBVS

NEC NON

ACTVI ORATORIO

D. XVII. OCTOBR.

POST FINITA SACRA MATVTINA  
FREQVENTES INTERESSE VELINT

IMPENSISSIMIS PRECIBVS ROGAT ATQVE CONVOCAT

DANIEL TRAVGOTT MVLLER

RECTOR SCHOLAE SCHNEEBERGENSIS.

BIBLIOTHEC  
POMICKAVIANZ

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

SCHNEEBERGAE

PRELO FVL DANO,

A. R. S. CIOIOCCXXXVIII.

MEMORANDUM  
OF THE  
COMMISSIONERS  
OF THE  
SCHOOL DEPARTMENT  
OF THE STATE OF NEW YORK  
IN RESPONSE TO A RESOLUTION  
PASSED BY THE SENATE  
ON THE 15TH DAY OF  
MAY 1890

REPORT  
ON THE  
SCHOOL DEPARTMENT  
FOR THE YEAR  
1890

BY  
THE  
COMMISSIONERS  
OF THE  
SCHOOL DEPARTMENT  
OF THE STATE OF NEW YORK  
JOHN F. WILSON  
AND  
JOHN F. WILSON



ALBANY  
1891





Scholarum necessitatem vtilitatemque omnibus hominibus, nisi talpa coecioribus, notissimam, experientia loquitur, multorum prudentissimorumque virorum testimonia comprobant, et ipsa scholarum tam priuatarum, quam publicarum confirmat antiquitas. Sunt, qui originem scholarum hebraicarum ab ipso Adamo, sunt, qui ab Abrahamo, sunt etiam, qui a temporibus Iudicum repetunt, vti Summe Reuerendus CONRADVS IKENIVS indicauit, et notatu digniora de illis scholis congeffit, nec non nobilissimas Hebraeorum scholas nominauit (a). Graeci, quibus Mineruae sacra maxime curae cordique fuerunt, scholas habuerunt et ornarunt; et cum eruditionis amor ex Graecia ad Romanos peruenit,

a 2

hi

(a) In Antiquitatibus Hebraicis P. I. Cap. V. pag. 27. seqq.

hi quoque scholis concesserunt locum (b). Et licet ab initio Christiani liberalium artium officinas, quae à viris vano Deorum fictorum cultui deditis regebantur, fere odisse viderentur; breui tamen scholas et ipsi aperuere, cuius rei testimonium vel sola schola Alexandrina celeberrima suppeditauerit. Plures succedente tempore a Christianis conditae sunt scholae (c). Et licet monachorum apinis tricisque illae mirum in modum deprauarentur; alter tamen ille Romani imperii felicissimus conditor, Carolus vere Magnus, scholis condendis operam dedit, id quod peculiari libro, de Scholis Celebrioribus a Carolo Magno et post Carolum M. in Occidente instauratis, demonstrauit IO. LAUNOVS (d). Neque nostri maiores, veteres Germani, adeo barbari fuerunt, vt omni scholarum vsu carerent (e). Et quid multa? Historiam scholarum a primordio perscribere mihi non proposui, dum probe video, quod in tanta scriptorum, qui idem iam fecerunt, praestantissimorum turba mea fama in obscuro sit futura. Scholarum tantummodo vtilitatem atque necessitatem ex ipsa earumdem antiquitate bre-

- (b) de scholis Graecorum et Romanorum praeter Pfeifferum, Lipsium, aliosque videatur Claudius Fleury dans le Traité du Choix et de la Methode des Etudes, a Brusselles a. 1687. qui tractatus recensetur in Actis Erudit. a. 1688. p. 317. seqq. (c) vid. hac dere Laurent. Reinhardi Oratio de Variis Scholarum, quae inter Christianos viguere, Mutationibus, annexa Eiusd. Synopsi Philosophiae Rationalis, Erf. et Lips. a. 1730. (d) quem librum Launoi vna cum Mabillonii Itinere Germanico magnum illud Hamburgi olim totiusque Germaniae decus, Io. Alb. Fabricius Hamburgi a. 1717. edidit, vid. Act. Erudit. a. 1717. p. 421. (e) vid. Io. Christoph. Cleffelii Programma de Scholis veterum Germanorum in Celebrissimi Biedermanni Act, Scholast. Vol. I. pag. 219. seqq.

breuiffimis comprobare volui, ea mente, vt procliuius in eo, quod iam fcripturus fum, argumento mea procurrat oratio. Beneficentiam enim erga fcholas reipublicae quam maxime effe vtilem hac vice comprobaturus, et, Schneebergam noftram fuauiffimam hoc idem femper obferuaffe, et in oculis fuam fcholam tuliffe, alia occasione fum confirmaturus. Verum itaque omnino eft, quod Ienenfium Theologus Confummatiffimus, Hallbauerus, affirmat (f), quod nimirum fcholae, feminaria reipublicae, omnium principum magistratuumque prouidam requirant curam, illique harum inftaurationi, conferuationi et emendationi longe maximum ftudium curamque dicare debeant. Profecto dum fcholas condunt, dumque illas variis beneficiis magistratus et ciues ornant, talia beneficia exercent, quae inter aeterna omnino funt referenda (g), et quae reipublicae certiffimam praefentiffimamque comparant vtilitatem. Scholarum neceffitas tanta eft, vt iure dicere poffimus, eas effe Iuris Naturae (h), quia in illis adolefcentes atque iuuenes, in lucem hanc rudes procreati, difciplinis vtiliffimorum praeceptorum et moribus probis a viris, ad id conftitutis, ideo funt innutriendi, quoniam parentes ipfi educationi liberorum rite curandae faepe pares non funt, vel, quo minus eam curent, aliis impediuntur negotiis. Inftitutionis puerorum neceffitatem iam commendat Plutarchus, et fimul eorum deridet imprudentiam,

a 3

qui

(f) in denen Kurzen Vorfchlägen zu nöthiger Verbefferung des Schulweſens, quem libellum germanice verſum annotationibusque ornatum edidit a. 1746. de illuſtri Rutheneo et re ſcholastica optime meritus Hauptmannus. (g) de Beneficiis Principum Aeternis Programma quondam edidit Clariffimus Heumannus. vid. Act. Erud. a. 1718. p. 4r. (h) quod demonſtrauit Programmate peculiari Brandan. Frider. Mylius a. 1739. vid. Act. Scholaſt. Vol. II. p. 60. ſeqq.

qui liberis suis, more illorum temporum, ex seruis suis Paedagogum praefecerunt nullius pretii, dum ita scribit (i): ὁ, τι αὖ εὐρωσῶν ἐνδοξάποδον ἀνόληπτον, καὶ λίχρον, πρὸς πᾶσαν πραγματείαν ἀχρηστον, τῷ φέροντες ὑποβάλλεσι τὰς υἰάς. Quod si ita est, pecunia rei meliori impendi non potest, quam ea, quae in liberos eorumque infumitur institutio- nem. Et quia omnes parentes his omnibus sumptibus suppeditandis pares non sunt, illi operam dant allaudabilem, probam et sapientem, qui beneficia sua apud pau- peres ponunt discipulos. L. Caesarem Cicero appellat (k) non hominem, sed scopas dissolutas. Et profecto pueri et iuvenes hac ratione saepe non homines sunt, sed sco- pae dissolutae, vel homines nihili. Natura quidem vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem (l): sed proba institutio demum homines ad colendam hanc societatem excitat, aptosque reddit. Verbo, iniuste non ageret, qui scholis inscriptionem ad- deret: Hic fiunt homines, hic fiunt ciues. Aristopha- nes duo vocabula ἀμαθής et βάρβαρος coniungit (m): et omnino homines rudes, disciplina nulla exculti indocti- que, sunt inhumani atque barbari. Nonne multorum populorum exempla sole clarius hoc demonstrant, quod, omnem doctrinam nihili ducentes, societatis etiam huma- nae ac ciuilis vinculum nihili fere ducant, et republi- cam turbent, labefactent et euertant? Nonne etiam experientia docemur quotidiana, quod homines ἀμαθείς et rudes infensissimi plerumque ciuitatis bene ordinatae existant hostes? O felicem igitur ciuitatem, quae schola gaudet sapienter instructa, quae eodem iure, quo Cicero coniugium principium urbis et quasi seminarium repu- blicae appellat (n), stabilimentum urbis et seminarium rei-

(i) de Puerorum Educatione Cap. VII, (k) Libr. VII.  
 Epist. ad Atticum Epist. 13. (l) Cicero Libr. I.  
 de Officiis Cap. 4 (m) in Nubibus Act. I. Sc. VI,  
 v. 37. (n) Libr. I, de Officiis Cap. 17.

reipublicae ac proborum nominari meretur ciuium. Quis ita dixerit, beneficia scholae tributa male collocari? Quis non affirmauerit potius, haec beneficia reipublicae quam maximum parare commodum? Sed ad maius adhuc commodum maioremque reipublicae fructum non temere haec beneficia redundare existimo. Homines nascimur, christianis sacris felici illo aquae sacramento, baptismo, initiamur: sed, quod christiana dogmata in mentibus nostris agant radices, scholis potissimum, quae diuina nos oracula edocent, debemus. Gallicus auctor (o) laudat veterem tam Synagogarum, quam Ecclesiarum Cathedralium morem, quae scholas Synagogis et templis adiunxerint; et profecto optimum est, si templis scholae iunguntur, aut, vt clarius dicam, si christiana institutio in templis scholisque coniungitur. Si enim in flore aetatis homo fida probaque caruit institutione, institutio publica, quae in templis fieri solet, primumque aut irrita est, aut certe non sine magna difficultate vtilitatem parat speratam. Verbo, schola educat confirmatque Christianos, et eos aptos reddit, vt pia sacratissimaque dogmata contra insultus quorumuis hostium defendere queant. Optime hoc cognouit insensissimus christiani nominis hostis, Iulianus Apostata, qui ad delendum illud nomen fraudem cum vi coniunxit, et Christianos tam acerbe penitusque odit atque detestatus est, vt christianos quoque milites, a Constantio sibi datos, despiceret, quia, vti criminabatur, *μᾶλλον νόχεδδαι*, siue, rem tantum votis gerere scirent(p). Hic itaque Iulianus ea de causa iussit Christianis scholas claudi, ne addiscerent liberales artes, quo ita furore Ethnico minus ab

(o) Sieur de Simonville dans la Comparaison des Cere-  
monies des Juifs et de la Discipline de l'Eglise, vid.  
Act. Erudit. a. 1683, p. 138. (p) vti refert Zosimus  
Historiae Libr. III. Cap. 3.

ab iis resisti posset; propriis enim, aiebat, vulneramur  
pennis, ex nostris armati conscriptionibus contra nos bel-  
la mouent (q). Tanta itaque scholarum est utilitas, vt  
crudelissimus tyrannus illis interdiceret Christianis, quo eo  
facilius posset exterminare christianam veritatem. Quem  
itaque illorum, qui hanc veritatem profitentur, beneficio-  
rum poeniteret scholis tributorum? Et quot quantique  
viri de republica optime merentes ex schola, tanquam ex  
equo Troiano, prodeunt? Probe hoc cognitum habuit  
Trocendorffius, qui scholam ingressus, discipulos suos com-  
pellasse dicitur, saluere quidem etiam iubens carnifices,  
lictos et nebulones, verum etiam nobiles, consules, se-  
natores, caesarum, regum, principumque consiliarios,  
opifices item et artifices atque mercatores (r). Mater illa  
familias, quae Lutheri, pueri, ostiatim canendo quaeren-  
tis victum, et bis terue nihil accipientis miserta, eique pa-  
nem largita est (s), animo profecto sibi non finxisset, quod  
hic puer tantus et tam utilis vir aliquando esset euasurus,  
et quod panem largiretur homini, his aliisque beneficiis  
dignissimo. Et cum tandem quilibet ad patriam omnia,  
quae potest, lubentissime confert non solum conseruan-  
dam, sed et ornandam: certum quoque est hac de causa,  
quod quilibet, erga scholas beneficum se exhibens, patri-  
ae quam maximam adferat utilitatem, siquidem vrbes scho-  
lis bene instructis aequae, quin et multo magis ornantur,  
quam superbis magnificisque aedificiis. Si enim bello  
incendione maximae aedificiorum moles vastantur atque  
diruuntur, et adeo gloria vrbis destruitur splendida: illa  
gloria,

- (q) referente haec ex Ruffino Christiano Matthiae in Theatro Historico p. 691. (r) vti refertur in Ludouici Historia Rectorum, Gymnasiorum, Scholarumque Celebriorum Part. I. p. 111. (s) vid. Vita Lutheri Numis atque Iconibus illustrata a M. Christ. Iunckero, pag. 9. 10.



gloria, quam discipuli bene educati vrbi comparant, nunquam intermoritur siue deletur. Licet Atheniensium Rhodiorumque res atque opes, Roma crescente, quam maxime imminutae essent, gloria tamen harum urbium facta mansit incolumisque, quia nimirum sedes fuerant et adhuc erant eruditionis doctarumque artium. Adeoque verba Theocriti (t): ἐκ μουσῶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποις; et verba Horatii (v): dignum laude virum Musa vetat mori; licet sensu paullulum immutato nostra facere et dicere possimus: ex Musis earumque sede hominibus magna oritur gloria, et vbi sedem illae inuenerunt, non finunt dignum laude virum mori, aut urbis nomen incognitum manere. Sed possēt mihi forte responderi, quod scholae non quidem laude sint priuandae sua, sed non esse, cur quis sua bona profundat, et erga scholas liberalem se exhibeat. Sed responsio in promptu est. Bona quidem non sunt profundenda, sed tantum sapienter apud scholas collocanda. Et quis est, quem lateat, scholas aequè minus consistere posse sine beneficiis, ac fruges sine foecundo solis calore, et pisces sine aqua? Nostine, quod Pythagoras dixerit; haec duo diuinitus hominibus data esse longe pulcherrime: veritatem amplecti et aliis benefacere: et quod addiderit; vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse (x)? Recordarissime, quod liberalitas scholis praestita reipublicae commoda mirum in modum augeat? Veteres igitur Hebraei etiam id, teste IKENIO, probe perspexerunt, eximiis, iniquiente (y), scholae ornatae erant priuilegiis, ita, vt docentes aequè ac discentes ab operibus et oneribus publicis essent liberi. Vtrisque etiam aliquando stipendia dabantur, quamuis et honestum duceretur, suo sibi labore

(t) Eidyll. XVI. v. 58.

(v) Libr. III. Od. VIII. v. 28.

(x) referente id Aeliano Var. Histor. Libr. XII. Hist. 59.

(y) l. cit. P. I. Cap. 5. p. 28.

bore victum parare. Quoniam vero, si Musis rite vacare debent discipuli, suo sibi labore victum parare non semper possunt, et quoniam pauperes, vt alia demonstraui occasione (z), a studiis non sunt arcendi; sole meridiano clarius est, quod beneficiis ingenia alacria et excitata, dum saepe ingenia summa in occulto latent (aa), sint alenda, ad res egregias patrandas et artes addiscendas excitanda, salusque adeo publica promouenda, ne Iuuenalis verba deprehendantur vera: Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi (bb). Et nonne ipsa vrbs vtilitas exinde incrementum capit? dum, schola florente, non pauperes solum, sed alii quoque aduolant discipuli, quorum parentes impensis, ad liberorum suorum victum et institutionem necessariis, non parcunt. Nonne ipsi vrbs ciues illo emolumento gaudent, quod filios suos, studiis natos, domi alere, eorum profectibus gaudere, et vitae eorum ordinandae ipsi attendere queant? et nonne cuiuslibet illorum, qui Christi castra sequuntur, notissimum est, quod beneficentia virtus sit summo Numini gratissima, et fauore eius insignita? Quilibet nouit, quod beneficia pauperibus, adeoque etiam egenis discipulis, exhibita, irrita non sint, sed commodum maximum non solum illi, qui ea exhibet, sed etiam toti vrbi concilient, Deumque propitium reddant. Nunc porro esset demonstrandum, quod Schneeberga a primordio fere suo beneficia scholae praestiterit plurima, multumque hoc ipso ad salutem publicam contulerit, nisi vela nunc essent contrahenda. Hinc de hac insigni Schneebergae beneficentia alio tempore acturus, id aggredior, quod mihi ansam scri-

(z) Programmatae a. 1747. d. 2. Iul. publicato.

(aa) Plautus Captiu. Act. I, Sc. 2. v. 62. (bb) Satyr. III.  
v. 164. 165.

scribendi dedit. Instat nimirum publica scholae nostrae lustratio: hinc Vos, INSPECTORES GRAVISSIMI, et VIRI omnium<sup>m</sup> ordinum Amplissimi, scholaeque nostrae bene cupientes, quam maxime rogo, vt huic lustrationi interesse, et quomodo beneficia, scholae nostrae data, collocata sint, perspicere ne dedignemini. Sed decorate etiam actum oratorium vestra praesentia, et orationes trium Iuuenum lectissimorum benigni audite. Surget nimirum

I. Ioannes Benjamin Schmidt, *Hundesbübl. Misn.*  
qui oratione graeca de prudentia discipuli in  
libris comparandis aget. Sequetur eum

II. Christianus Schoenfelder, *Neostad. ad Schneeb.*  
qui, beneficiis scholasticis bene vtendum  
esse, oratione latina demonstrabit Et

III. Ioannes Dauid Schmidt, *Neostad. ad Schneeb.*  
qui, ingratham mentem discipulorum quorundam scholae maxime nocere, verbis latinis ostendet, BURCKHARDI memoriam instaurabit, et Auditoribus Honoratissimis gratias aget.

ax  
Tg  
86

Videre ex his est , quod nostri discipuli gratam a-  
ment mentem, et adeo spero, fore, vt Vos, VIRI  
*omnium ordinum pie Colendi*, illis porro beneficia sitis ex-  
hibitori, et ad lustrationem scholae aequae ac ad actum  
oratorium Vestra praesentia condecorandum eo frequen-  
tiores accessuri; id quod omnibus, quibus possum,  
precibus flagito atque a Vobis contendo. P. P. Schnee-  
bergae, die dominico XVIII. post festum sacrae  
Triadi diem, s. d. XII. Octobr.  
a. r. f. c1710ccxxxviii.



Mc



Q.K.  
515  
4

BENEFICIENTIAM ERGA SCHOLAS  
REIPUBLICAE QVAM MAXIME VTILEM ES.

II 9  
86

PROBAT  
ET

# INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMOS

ET

## V I R O S

X23A640A

OMNIVM ORDINVM AMPLISSIMOS QVI SCHOLAE  
BENE CVPIVNT

VT

### SCHOLAE LVSTRATIONI

D. XIII. OCTOBR. ET SEQVENTIBVS  
NEC NON

### ACTVI ORATORIO

D. XVII. OCTOBR.


POST FINITA SACRA MATVTINA  
FREQVENTES INTERESSE VELINT

IMPENSISSIMIS PRECIBVS ROGAT ATQVE CONVOCAT

DANIEL TRAVGOTT MVLLER  
RECTOR SCHOLAE SCHNEEBERGENSIS.

BIBLIOTHEC  
PONICKAVIAN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



SCHNEEBERGAE

PRELO FVLDAÑO,

A. R. S. CIOIOCCXXXVIII.

04